



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

LXXI. Praeceptum Lotharij Imperatoris quo confirmat commutationem
factam inter Agilmarum Viennensem Archiepiscopum & Rostanium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

nafterio Glandifolio anno dominice incarnationis octingentesimo quadragesimo septimo, regni autem Regis Karoli anno octavo * decimo, gubernante prefatum monasterium Gauzberto sub dominatione Ingelberti venerandi Abbatis conobij Foffatensis.

* Hæc vox superflua est.

L X X.

Carta Karoli Regis qua confirmat permutationes factas inter Episcopum Parisiensem Herkenradum & Abbatem Foffatensem Eginhardum de silva Vilcena pro Abbate Foffatensi ad silvam in loco qui Buxiacus appellatur pro Episcopo Parisiensi.

An. 847. Ex chartulario monasterij Foffatensis.

IN nomine sanctæ & individue Trinitatis. Karolus gratia Dei Rex. Si enim ea quæ fideles regni nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint, nostris confirmamus edictis, regiam exercemus consuetudinem, & hoc in postmodum jure firmissimo mansurum volumus. Itaque notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ & nostris presentibus scilicet atque futuris quia venerabiles viri Herchenradus Parisiensis Episcopus & Eginardus Foffatensis monasterij Abbas ad nostram accedentes presentiam innotuerunt qualiter inter se pro ambarum partium opportunitate quasdam res commutassent vel concambiasent. Dedit igitur prefatus Herchenradus Episcopus ex rebus Ecclesiæ sibi commissæ, de villaque vocatur Fontanedus, ad partem Eginardi Abbatis & Ecclesiæ suæ perpetuo ad habendum, unâ cum consensu Canonorum suorum, concidendi quæ vocatur Vilcena, habentem in gyro perticas quingentas xxxvii. E contra dedit Eginardus Abbas unâ cum consensu monachorum suorum ad partem Ecclesiæ Parisiensis & Erehenradi Episcopi silvam in loco qui dicitur Buxiacus habentem in gyro perticas quingentas xxxvii. Quorum rerum circumjacentiæ & laterationes in commutationes quas exinde inter se æquo tenore conscripserunt & legaliter firmaverunt, pleniter confirmantur. Quas denique nobis ostendentes, petierunt humiliter ut eas per præceptum nostrum confirmare dignaremur. Quorum deprecationibus libenter assensum præbentes, hoc scriptum celsitudinis nostræ fieri præcipimus, per quod præcipimus atque firmamus ut quicquid pars iustè vel rationabiliter alteri contulit parti, sicut in memoratis commutationibus continetur, jure firmissimo teneat atque possideat. Et ut hæc nostræ roborationis auctoritas firmam & inconvulsam semper in Dei nomine obrineat soliditatem, anuli nostri impressione subter eam iustissimus insigniri.

Gislebertus Notarius ad vicem Hladovici recognovit.

Data VI. Nonas Madij anno v i i i. regni Karoli gloriosissimi Regis, Indictione x.

Actum in Compendio regio palatio in Dei nomine feliciter. Amen.

Tom. II.

L X X I.

Præceptum Lotharij Imperatoris quo confirmat commutationem factam inter Agilmarum Viennensem Archiepiscopum & Rostanum.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi Dei æterni. Hlotharius divina ordinante providentia Imperator Augustus. Si * cum ea quæ fideles imperij nostri pro eorum opportunitatibus inter se commutaverint nostris confirmamus edictis, imperialem exercemus consuetudinem, & hoc in postmodum jure firmissimo mansurum esse volumus. Igitur comperiat omnium sanctæ Dei Ecclesiæ ac nostrorum presentium scilicet & futurorum industria quia Agilmarus venerabilis Archiepiscopus ad nostram accedens majestatem retulit quòd cum Rostano quondam pro utriusque partis utilitate ex eorum rebus propriis fecisset commutationem. Dedit igitur jamdictus Agilmarus prefato Rostano ad proprium in pago Viennensi quicquid in valle Venusca habuit, & in regno Aquitanico villas quæ Canalillas, Potiolis, Flaviacus, & Puxerolas nominantur. Et è contra in compensatione harum rerum dedit prefatus Rostanus ex rebus propriis jamdicto Agilmaro ad proprium in pago Lugdunensi sub integritate villam quæ Calmis & Curgnus nominantur. Vide & duas conventiones æqualem habentes tenorem inter se sollempni jure corroborari decreverunt, quas nostris detulit obtutibus, omnimodis exposcens eas nostro sancti munimine. Cujus petitionibus adimplere statuentes, hos nostræ excellentiæ decrevimus fieri apices; per quos præcipimus ut quicquid pars alteræ contulit parti, deinceps per hanc nostram auctoritatem jure firmissimo teneat atque possideat, vel quicquid exinde facere decreverit liberam in omnibus habeat potestatem. Petiit etiam idem Agilmarus ut per nostræ auctoritatis conscriptionem ei sanciremus res quas in pago eodem in villa Pavafanis ab Vgone & uxore ejus Ingelsuindim per delegationem cartulam adquisivit. Nos verò ejus petitionem rationabilem esse censentes, memoratas res à jamdictis viris perenniter illi contraditas, prout plenius in eorum corroboratione continetur, illi per hoc nostrum præceptum sancimus modisque omnibus confirmamus, quatinus omnium postpositam iniquam machinationem eas retineat, & quicquid exinde facere decrevit liberam in omnibus habeat potestatem. Et ut hæc nostræ confirmationis auctoritas firmior habeatur & diligentius conservetur, de anulo nostro subter eam iustissimus sigillare.

Signum Hlotharij serenissimi Augusti.

Daniel Notarius ad vicem Hilduini recognovit.

Data I I I. Idus Novembris anno Christo propitio imperij Domini Hlotharij pij Imperatoris in Francia i x. & in Italia x x i. Indictione x i.

Actum Theodonis villa palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.

Z Z z z

An. 848. Ex chartulario Ecclesiæ Viennensis. * enim.